

BVLLA ALEXANDRI III.

PONT. MAX. DE IVBILEO DIVI IACOBI
vnici Hispaniarum Patroni.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.



Alexander Episcopus seruus seruorum Dei. Regis æterni, cuius manifestissima pietas tanta nobis diuinæ gratiæ dona perfudit, vt ad vitæ supernæ gloriæ vocandis mortalibus, non solum Prophetarum oracula, ac præcedentium Patrum exempla pariter, & documenta præbuerunt: Sed ipsa veritas, eius scilicet, v-nigenitus de summis cœlorum ad imma, progeneris humani salute descendens, mortalitatis nostræ carne assumpta visibilis, & corporalis apparere. Eo quod nascente sanctorum numero, quos sua iustificauerat gratia, ampliari dignatus est, vices licet in meriti gerentes in terris, ac pia ipsius offitia, & actiones immitantes, ad illa cuius scilicet vigilamus, assiduisque studijs in defensis exitimur, per quam nostræ operationis ministerio factæ religionis in agro Dominico superna dispensatione plantare. Vt vniuersis vigilantia nostræ creditis, talia fauorabiliter concedamus, per quam in præsentis vita, pijs intenti operibus puris mentibus altissimo gratum redere famulatum, & per hoc ad æternæ claritatis, sine fine visionem feliciter valeant pervenire, & propterea quæ à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris proinde concessa fuerunt, libenter approbamus, ac Apostolico munimine roboramus, illaque ampliori perstringimus firmitatis adminiculo, quo in æuum inconcussa valeant permanere firmius solidata: ac etiam de nouo concedimus prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Dudum siquidem felicis recordationis Calixtus Secundus Romanus Pontifex, prædecessor noster, sanctam Compostellanam B. Iacobi Zebedæi Ecclesiam, cuius in ea venerandissimi corpus honorifice est positum, obninium deuotionis affectum quem ad ipsum sanctum tenuit, & ob tæstorum innumera biliumque peregrinorum concursu, ex omnibus mundi partibus, ob remissionem suorum peccaminum, ad eandem Ecclesiam, continue confluentium, qui propter tanti Apostoli merita se, suarum salutem animarum credunt adepturos, Apostolicæ sedis, priuilegijs, gratijs, & indulgentijs communiuit. Voluit siquidem quod præfata Ecclesia Apostolica se lætetur protectione muniri: Concessit insuper omnibus, & singulis viriisque sexus Christi fidelibus vere penitentibus, & confessis, Ecclesiam prædictam visitantibus in anno in quo festum eiusdem sancti Iacobi Zebedæi in Dominica venerit, à vigilia Circumcisionis Domini, & per totum illum annum integrum, vsque ad diem eiusdem Circumcisionis, & per totum diem in fine illius anni in diebus quibus magis eis placuerit visitare, vt omnes & singulas illas peccatorum indulgentias, & remissiones, etiam plenarias, quas visitantes Ecclesias, & Basilicas vrbis, & extra urbem Romæ anno Iobilei consequerantur, cum facultate deputandi confessores, qui ad dictam Ecclesiam pro consequenda indulgentia huiusmodi confluentes, etiã in casibus Sedi Apostolicæ referuantis absoluerent: ac etiam eisdem Christi fidelibus in eiusdem sancti Iacobi, & translationis corporis sui, ac dedicationis eiusdem Ecclesiæ festiuitatibus, Ecclesiam prædictam, à primis vesperis vsque ad secundas vesperras, ac per totum diem inclusiuè, deuote visitantibus, annuatim, vt plenariam indulgentiam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint consequerentur, perpetuis futuris temporibus duraturam concessit. Nos igitur ad hoc prædecessorum nostrorum sanctæ memoriæ, eiusdem Calixti Papæ, ac Eugenij, & Anastasij, vestigijs inherentes ad gloriam omnipotentis Dei, totiusque religionis Christianæ, augmentum quæ ipsius, gloriosum Apostolum ad eius Ecclesiam Compostellanam huiusmodi deuotionis causa de diuersis mundi partibus dimissis parentibus, amicis, liberis, patria, ac alijs temporalibus bonis, per mare, terramque continue cor suunt in numero copioso, quique animarum salutem, supremis desideramus affectibus, & dignis volumus honoribus frequentari, & vt ipsi Christi Fideles in eadem se recognoscant Ecclesia Christi muneribus repletos, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius autoritate confisi, omnes & singulas prædictas indulgentias, & Iobeleum ipsius eodem modo, & forma quo Romana Ecclesia habet, etiam se lætetur Compostellana Ecclesia, pro singulati B. Iacobi deuotione tenere, anno videlicet quo vt præfertur festum d. Apostoli Iacobi in dominica venerit, & per totum annum integrum vt præmittitur: nec non in diebus illis, scilicet sancti Iacobi, & translatione corporis sui, & dedicationis eiusdem Ecclesiæ, plenariam indulgentiam annuatim consequantur visitantes prædictam Ecclesiam, vt præfertur. Autoritate Apostolica, & ex certa scientia approbamus, roboramus, & communimus, ac perpetuæ firmitatis robur tenere in perpetuum decernimus, & insuper illas de nouo eisdem modo & forma in omnibus, & per omnia, vt supra concessum fuit concedimus, & indulgemus, & perpetuis volumus futuris temporibus duraturas, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, & c. Nulli ergo hominum liceat, hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, concessionis, & indulti infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit reum se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine, Redemptoris Domini nostri Iesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine diuinæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eandem Ecclesiam visitantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus, vt hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem, præmia æternæ pacis cum B. Iacobo inueniant, Amen. Datum Viteruij, per manum D. Austerij, S. Romane Ecclesiæ Subdiaconi vij. Kalend. Iulij indictione xiiij. incarnationis Dominicæ anno M. C. L. XXIX. Pontificatus vero Domini Alexandri PP. III. Anno XIX.